Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26080
Copyright: Admont, Benediktinerstift

95

Necdum autem inter extrema manum dei · nec tactas carnes · nec ossa confracta ad quę
dolorem difficile est non ingemiscere · et in faciem domini benedicere · pro eo quod est maledi (benedicere pro maledicere)
cere · unde et nabutham in libris regum benedixisse dicitur dominum et regem · et idcirco la
pidatum a populo · Sciens autem dominus athletam suum immo uirum fortissimum etiam in isto
extremo perfectoque certamine posse superare · Ecce inquit trado illum tibi · tantum
animam illius custodi; Caro uiri sancti datur in diaboli potestatem · et animę
sanctitas reseruatur · ne si illud percussisset in quo sensus est mentisque iudicium ·
non esset culpa peccantis · sed eius qui statum mentis euerterat · Laudent te ergo alii et tu
asque contra diabolum uictorias panegericis prosequantur · quod laeto uultu mortem
tuleris filiarum · quod quadragesimo die dormitionis earum lugubrem
uestem mutaueris · et dedicatio ossuum martyris · candidatum indumenta red
diderit · ut non sentires dolorem orbitatis tuę · quem ciuitas uniuersa sen
tiret · sed ad triumphum martyris exultares · quod sanctissimam coniugem tuam non
quasi mortuam sed quasi proficiscentem deduxeris · Ego te nequaquam adulatio
ne decipiam nec lubrica laude subplantem · loquarque illud potius quod tibi au
dire condecet · Fili accedens ad seruitutem dei · praepara animam tuam ad temp
tationem · et cum omnia feceris · dicito · seruus inutilis sum · feci quod facere debui ·
Tulisti liberos quos ipse dederas · recepisti ancillam quam mihi ad breue solaci
um commodaueras · non contristor quod recepisti · sed ago gratias quod dedisti · Quondam
diues adolescens omnia quę in lege praecepta sunt se implesse iactabat · Ad quem
dominus in euangelio · unum tibi inquit deest · Si uis perfectus esse uade uende omnia quę
habes et da pauperibus · et ueni sequere me · Qui omnia se fecisse dicebat · in
primo certamine diuitias uincere non potest · Unde et difficulter intrant
diuites in regna caelorum · quę expeditos et alarum leuitate subnixos habi
tatores desiderant · Vade inquit et uende non partem substantię · sed uniuer
sa quę possides et da non amicis non consanguineis · non propinquis · non uxori non liberis ·